

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

CXXII. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Ossibus Tuberosis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

CXXII

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
OSSIBUS TUBEROSIS.

Quam Praeside

LAURENTIO ROBERG,

Tuebatur

ERICUS VICTORIN,

V. GOTHUS.

Upsalæ die 1. Junii anno 1717

Tom. IV.

B b 5 5



CXIII

DISSERTATIO

MEDICO-CHIRURGICA

DE

OSTIBUS TUBERCULIS

Quaeritur

LAURENTIO ROBERG

Tractatus

PRIMUM

K. COELEN

1711

1711

1711



§. I.

Ossa præter naturam figurata nec in sepulcretis rara sunt, nec in illorum museis, etiam apud nostros, qui similibus colligendis servandisque utilissima curiositate ducuntur; omnium autem frequentissime ista deprehendere, apud medicarum observationum scriptores licebit. Nam, ut Schenkios & Forestos & Bonettos reticeam, qui universalium observationum proluxa indagine hanc itidem de ossibus præter naturalibus partem complexi sunt, post alios, nuper Parisienses in Actis anno 1706, plicaturam illam duræ meningis, quæ falx anatomicis dicitur, describunt, cum laminis ossibus visam. Item in ejusdem anni actis, sceleton mire per omnia contortum delineatur. Pag. 613. & pag. 318. femoris monstruosa exostosis, & rursus pag. 31. lienis membrana ossea. Ut mittam alia. Sic Amstelodamensium clarissimus profector, Fredericus Ruyschius, in museo anatomico p. 84. os tibiæ habet, e cujus superiori parte per cariem inveteratam corrupta, vi naturæ propullulavit frustum osseum teres & cavum. & Johan. Palfinus dissertatione Belgica de ossibus cap. 3. sceleton accurate describit, pueruli rachitide demortui, Lutetiæ à se visum. Ossa itidem, eodem capite, mulierculæ in magno illo Xenodochio Parisino l'Hôtel Dieu dicto, demortuæ, usque eo fragilia, ut digitis conteri potuerint. Ut plura non accumularem, inter diuturnorum lethaliumque morborum, occultas latentisque causas referenda, nec nisi in defunctis tandem suo cruciatu corpusculis, anatomico unco indice perspicienda

§. I I.

Quorum a nobis hic delineationes adferuntur, priores tibiæ ossa mire pustulata adumbrant, à dexterrimo, ante hac, Stockholmensium chirurgo Hanso Dahmio Smolando, Danavicensis nosocomii hospitibus demortuis exempta: hodie visuntur inter rariora Experimentif. Doctoris Magni Bromelii, nuper medica studia in hac academia, nunc anatomen publice apud Stockholmienses dexterrime profitentis. Posterior autem delineatio, insolentissimum tuber exprimit, quod museo regii Collegii medici olim intulit beat. mem. Johannes Martinus Zirvogel Rothloben dictus, Archiater. Cujus imprimis industriæ & in publicam rem medicam amoris ac studio, ut pharmaceutici nostri dispensatorii originem, medicamentariæ officinæ acceptam fecerunt; ita & natales suos lectissimum hoc publicum naturæ gazophylacium debet: debuissent & plura perfectionem, nisi urgentiora negotia, dum ad primam hujus truculenti belli, livonicam expeditionem regem clementissimum sequitur, abstraxissent virum a destr-

B b b b 2 natis.



natis, fataque paulo post & epidemica in Laicensibus castris lues eundem extinxissent.

§. III.

Dum autem in hæcce ossa sæpiuscule, intueor, impetus me cepit quædam in genere de hoc argumento commentandi, collocationis amicæ gratia inter focios potius, quam ut decernam vel definiam, quæ à clarissimis nostris auctoribus in utramque partem jamdudum hic disceptantur. Agam autem I. de fibris illis singularibus & sui generis, ex quibus constant ossa & componuntur. II. de succo illo, qui in ossibus vita præditis, lente quidem, sed movetur & progreditur tamen. III. de indurescentia, ad quam non modo cartilaginosa ossium, sed omnia fere corporis humani, etiam mollissima festinant & tendunt. IV. de ruptura externa & violenta ossium, & illorum succrescente postea sensim callo. V. de nova in corporibus animalium etiam adultis, & quotidiana fibrarum genesi. VI. denique de acredine, ossa vel turbante vel plane destruyente. Sat multa, iniquis, fidelia una & aliis forte relinquenda artificibus. Sed si difficilia hæc erunt, erunt utique & pulchra; memet autem hic, quod in simili casu per multos alios excusabit: in magnis satis esse, vel voluisse.

§. IV.

De fibris ossis itaque primum dicturus, facile inducor ut credam, omnes animalis corporis partes solidas, ex fibris esse constatas. Nam quod olim in scholis medicorum, parenchyma dicebatur, interfusam scilicet quoddam vasorum ramificationibus, (*een blood-leswer til fylling*) id recentiorum microscopia docuere, nihil esse nisi miros quosdam, minores minoresque fibrosos implexus. Videantur delineationes Ruyschii huc facientes: videatur & Læwenhœckii fibræ carniæ depictio in Epistolis. Imo promptiore opera inspiciantur res ipsæ. Ex fibris itaque tum in longitudinem expositis, tum in spiram convolutis, tubuli humorum, distinctissimæ licet inter se magnitudinis, constant omnes: ex fibris universum nervorum systema: ex his, cum sanguiferis ramis intertextis & compositis, totus ille agilius musculorum torosus exercitus: ex fibris expansis, membranæ tenues, ex iisdem coarctatis, robusti tendines. Quidni igitur & ossa credamus similiter ex suis fibris, natura cogente, inspissari & componi.

§. V.

Certe in unicornu dicto, desumpto e marino monocerote, vel bicorni potius armatura donata balæna sui generis Groenlandica, striata illa fasciculorum fibrosorum contorsio, quæ totam ejus superficiem ossæam constituit.

stituit, hoc ipsum plane indicat. Præterea in laminis eboris indici, ex quibus belgarum sollertia nitidiores illas pyxides, sternutatorio tabacino pulvisculo continendo, vel servandis pro inunctione balsamis odoriferis fabricare solet, etiam interna ossis substantia, obversa radiis lucis, decurrentes has fibras prodit. Imo vel astaci nostri fluviatilis lapilli contracti, easdem illas strias e sua surgentes basi manifeste referunt. Idem in testaceorum conchiliorumque mire pictis exuviis patet, præcipue posteaquam exuruntur. Præterea in dentibus animalium glacialis ille externus cortex, (Pemail Gallis, *der Stahl* Germanis, *Hehningen* nostris, & *Steenytan* dictus) nil nisi tenuium filamentorum stratum quoddam est, ut in Lupinis, Ursinis, Castorinis, humanis dentibus inter se comparatis, nuperis in academico nosocomio, privatis dissectionibus demonstrari vidimus.

§. V I.

Ossium itaque sit fibrosa structura, mollis in fetu, petrefacta in adulto. Et quidni esset, cum primum illud, vel sub aquis marinis, plantam meditantis naturæ rudimentum, spongia, vel in aëre idem conantis, muscus fungusque, nil nisi tenuioris & herbacæ consistentiæ fibrosum tegmen sit, sicut & tota illa reliqua plantarum multitudo, jucunda Botanicorum occupatione in classes suas & genera & species discretæ & ordinata. Imo quid, quod & mineralia ipsa e fibris compingantur, fibrarumque tabulatis. Id asbestorum & gypsi radii docent; & talci squamæ; & specularis lapidis folia, & selenitidis bractæ. Quin integras ex suis tabulatis rupes compositas, in desertis harum regionum locis, syrtycoque nostro mari passim videmus. Sed & præterea crystalli lucidæ & ipsæ durissimæ gemmæ vel tinctæ vel non tinctæ, non in omnes æque plagas & vergentias, propter hunc fibrarum licet invisibilium certum ductum fissiles sunt, ut nos gemmularii docent. Itaque, qui mechanicas generationis fibrarum causas perspexerit, is omnis formationis animalis explicandæ stabile fundamentum invenit, longe aliud diversumque ab eo, quod in scholis vel plastica virtus, vel idealis prædestinata facultas dici solet.

§. V I I.

Quando ossa lentō igne & vasis arcte clausis, aqua decoquantur, Pappini ex gr. methodo, descripta in de digerendis ossibus dissertatione, tunc illa resolvuntur integra in mucilaginem liquidam: & pinguedo quidem ad superiora enatat, aquæ vero toti intermixtum manet gluten illud, quod quoniam refrigerato humore congelari solet, gelatinam dicimus. Hanc ego viscositatem pro genuino ossium succo, & prima materia & humore nutritio habeo. Nam quod attinet ad medullam, quemadmodum reliqua pinguedo interstitiis musculorum & universæ corporis superficiæ accedit, ita &

B b b b s-

ossium.

ossium cava hæc subit quidem, substantiam vero eorum non ingreditur, neque constituit. Nam utut vera sit illorum meditatio, qui provide datam ossibus pinguedinem propterea à natura volunt, ut ductilia sic reddita, fracturis imminuentibus facilius resistant; non tamen inde sequitur, genuinum nutrimentum ossium esse medullarem hanc oleositatem. Hoc interim adnotasse, non erit inconveniens, in boum ex. gr. pedibus longe oleosorem, hoc est liquidiorum esse medullam, quam in ossibus eorum reliquis; idem obtinet in compage ossea manuum hominis. Id in macellis visu apparet, id in confectis animalium sceletis, in medicorum scholis ornatus gratia poni solitis, post plures etiam menses & annos, transudante pinguedine, animadvertitur. Sed quænam hujus obsecro phenomenon causa erit mechanica? Nam dari illam negari nequit.

§. VIII.

Revertar autem ad succum osseum, quem omnium lentissime ferri ac loco moveri in arctissimis utique ossium tubulis, mihi imaginor. Ex qua hypothese plurimas difficultates theoreticas dilucidari posse crediderim. Uti que progressivo humorum motu à medicis detecto, quem circuitum circulationemque dixere, veritas innotuit majoris momenti, quam ut dici paucis possit. Quod unicuique, qui bonis cogitationibus inhærere voluerit, manifestabitur. Progrediuntur itaque indefessi & cruor & reliqui humores corporis omnes: hinc ad sensum motumque apta redduntur animalium corpuscula: hinc externis objectis percipi, hinc agitari internis possunt: hinc vita dependet tota, vitæque varii, ut ita dicam gradus. Sed & diversi præterea hic humorum progressivo motu celeritatis hic gradus considerandi sunt. Hæc festinatio alibi & rursus alibi tarditas causa mechanica, hoc est genuina est plurimorum effectuum. Hinc fit ut venæ abeant in ramos frequentiores quam arteriæ, dum formantur animalium fetus: hinc arteriæ sunt ramosiores nervis, qui omnium rectissime exporriguntur. Nam eorum hypothese, qui per nervos succum quandam non nisi lente ferri volunt, non moror. Hic præterea defluentis liquidi rapidior torrens vel lentior efficit, ut venæ distensiores & capaciores sint arteriis, arteriæ nervis. Hæc ratio, est cur cum in humoribus quædam particularum genera prævertant id quod reliquum est, etiam illa ipsa secedant, exinde & separentur plane. Cur ut in locis corporis aliis, ita & in articularum angustis, lymphatica exoriantur vasa, non aliter ac ex limo densissimo, limpidissimas aquas scaturire videmus. Hinc fit, ut ossa non in suis omnibus locis simul indurari incipiant, sed in certis irradiationum quasi centris. Denique hæc genuina ratio est, cur, cum opus suum ad vitam, primum formatrix illa facultas peregit, alterum opus incipiat, quod lentis licet passibus animal disponat ad mortem: adeoque,

ut de athleticis corporibus monuit Cœus senex, cum quo ascendat ulterius non habet, descendat indefessa ubique & irrequieta natura.

§. IX.

Plurimum refert, ut modus quo callus obducitur fractis ossibus, rite perspectus sit, non solum theoretico ad naturæ ingenium attendenti, sed & practico, de salute ægrotantium ut bonum virum decet sollicito. Hanc itaque ferruminationem naturæ intueamur in arborum fractis ramis, denuo coalescentibus; in insitionibus surculorum, in inoculationibus gemmarum intra lignum & corticem; nam ibi quo tubere suum consolidationis opus vegetativa illa anima molitur patescit. Inæqualia autem illa & aspera, quæ in callo ossium frequenter videmus non mirabimur, si consideraverimus, ex situ tubulorum osseorum rupto, irregulares, hoc est insolitas & à prioribus discrepantes fibras novas emergere debere. Referam hic, quæ in querno viscu sæpiusculè observasse me memini. Nimirum progeneratur morbosus hic, si recte rem capio, frutex, e tubere quodam sui generis, nescio qua de causa, externa certe & præternaturali enato: ramus utique sensibiliter, ultra idem illud tuber gracilescit & quasi tabe confectum emaciatur. Annon itaque ut quernum hoc viscum, brumali, hoc est insueto aliis plantis tempore, contingentem germinationem suam, totumque externum habitum arbori cui innascitur, multum dissimilem, non nisi turbatis detortisque fibrarum tabulatis principaliter debet: ita & ex fibris osseis e suo naturali situ dimotis, & callosos tumores nasci necesse est, & plurima ejusmodi insolentia tubercula, qualia in allatis à me delineationibus adumbrantur. Certe, ut in similitudine ab arboribus desumpta pergam, ex mutato in ligneis filamentis ordine, mutari & illa quæ inde dependent, vel inde liquet, quod erutis verno tempore gemmis, aliæ denuo, non modo in aliis virgularum locis erumpant, sed & in aliis interdum generis ramulos abituræ. Nam in omni arbore discrepantis naturæ ramulos esse, hortulani nos docent*. Non itaque in querno viscu præexistit organicum quoddam semen, sed mutata textura, novum fit. Quemadmodum videmus agricolarum apud nos pueros, incifuras infligendo per intervalla arbusculis, dum illæ porro crescere pergunt, sibi parare nodosos illos fustes, quos quoniam e forbo aucuparia interdum conficiunt, *Rön påkar* nominant; ita fieri potest, ut in præternaturalibus illis nodosis & tuberosis ossibus, quamquam externa vi fibræ non dislocentur, tamen ab ea, quæ prædominatur in morbofo corpore, acredine, occulta, per intervalla ossium staminibus vulnoscula, ut ita dicam, infligantur, unde efficitur,

ut

* Gallis: *branches à fruit, à bois, branches gourmandes, branches chifonnées*, frucht-quistar, green-quistar, watt-eller dreef-quistar, gäll-eller ödequistar.



ut deflectens & detortus e tramite suo succus, lento conatu novas molliatur vias, dum extra consuetam orbitam quasi delirat.

§. X.

Ad practicam autem naturæ calli notionem plurimum faciet, & obvium præterea est, quod à se institutum refert *van der Heyde* dissertatione de sanguinis missione & mytuli anatome, observatione 55. De Calli, ossa fracta conglutinantis generatione: refert ibidem de experimentis ad calli materiam & generationis modum illustrandum, a se in ranis viventibus sequente modo institutis. Primum structuram ranini cruris in quo occupare se voluit, studiose inspexit; ejus sub cute musculos, vel cuti contiguos vel ossi coherentes; ossis denique ipsius cavitates, foraminula, medullam. 2. Tum os illud confregit instrumento ad id apto, idque pluribus ranulis simul, loco conveniente detentis, ubi ad illa quæ subsecuta sunt attendens, notavit. 3. Os paulo postquam fractum fuit, brevius fieri, dum ejus extrema fracta, musculis abbreviatis extra communem lineam trahuntur. 4. Circa musculos autem nihil fere adhuc evasati sanguinis conspiciebatur. 5. In alia autem rana prædictum os, 24 horas post fracturam, laminam habebat evasati & concreti sanguinis, extensa multis laciniis fere per totum articulum, musculos fracturamque obtegens & huic connexa. Hujusmodi laminæ in omnibus cruribus raninis fractis observabantur, dummodo aliquot horæ essent præterlapsæ, non tamen in omnibus ejusdem formæ, evasato fluidoque sanguine, diversam in diversis corpusculis, figuram facile assumente, extremis tamen ossis fracti fere semper adhæret. Hujus itaque cruentæ laminæ mutationi quam maxime attendendum est. Tertio die hæc lamina, in ranula sc. alia, aperta, parum erat mutata. Quinto die sese firmiorem & minorem ostendebat. Deinceps septimo, decimo, duodecimo & decimo sexto, diebus examinata in diversis sensim, durior & pallidior evadebat, ut vigesimo septimo die cartilaginea tandem esset. Elapsis quatuor mensibus fracti ossis extrema, tam duro callo, in quem lamina cruenta mutata videtur, conglutinata erant, ut primo intuitu in majorem molem extensa, viderentur, accuratioris investigatione calli materiam ossis superficiali adnatam esse patebat. Concludit author, additque ex suo callum generari e sanguine evasato, cujus fluidis particulis sensim exhalantibus reliquum ossis formam assumit, quod tamen promoveri posse putat ab halitu ex ossis fracti extremis deciduo. Hæc ille.

Ex hisce itaque similibusque experientia magistra patescit, quam hic servet natura viam, qua repositione sibi relicta utatur, quo emplastro, quibus fasciis, denique quousque & nos in conatibus nostris hanc ducem sequi possimus: nam & hic utique obtinebit oraculum illud ab Hippo-
cra-

crate posteris relictum; *Natura quo vergit ducenda est, sed per loca convenientia.*

§. X I.

Novas autem in adultis generari, duras imprimis osseasque fibras, cepit à quibusdam trahi in dubium, forte quod mechanica generationis fibrarum causa non satis esset obvia, itaque illas voluerunt præexistere omnes, explicari vero modis variis. Sed multa sunt, quibus convelli hæc opinio possit, etiam debeat, cum nihil quidquam inserviat, neque phenomenon explicandis, neque decumbentium tractationi. Quidni autem non generarentur novæ fibræ in partibus corporis, cum integri utique fetus animalium visceribus innascantur, nisi & illos jam ab orbe condito præexistere velint, uti proluxa quidem sed & simul superabundante subtilitate, id evincere conatur Cl. Dn. Joh. Rajus Anglus in de animalibus pag. 22. Ungues certe & ungulæ ex fibrosis stratis compinguntur, quæ radiationi nervosi systematis & primam suam originem debent, & adstant eorum ex primariis exporrectionibus non aliter ac arborum fructus ramulis suis. Hæ autem quotidie abscissæ vel attritæ renascuntur non solum, sed & in digitorum, uno vel altero articulo mutilorum extremis, naturam unguibus quid simile effecisse vidimus, in javencula, cui manus sinistra tres priores digiti casu in primis annis abscissi fuerunt. Capilli in homine, pilique in universum, & tota illa in superficie animalium, villositas & hirsuties cadit & renascitur animalibus; etiam plumæ pennæque, tam miro artificio diversoque structæ, ut microscopiis vix ad satietatem adspici possint, cadunt tamen quotannis & e cute repullulant, naturalem illam solitamque & annuam metamorphosin in toto animali corpore vel solæ indicantes. Dentes vero multis piscium generibus ter quaterve in anno excidere & renasci piscatorum nostrorum opinio est, certe in mandibulis eorum vacillantes alios, alios firmos observare licebit. Hominibus etiam dentes in adulta, interdum & senili ætate renatos constat, ex medicorum historiis. Quid ingentia cornua cervis, cervorumque congeneribus, renonibus lapponicis, & qui utrosque hosce longe superant proceritate & robore, alcibus, dum cadunt annis singulis & resurgunt, quid nos docent aliud, quam & in adultis adesse illam vim, quæ liquidissimam materiam arripiat, disponat, extendat, consolidet, non quidem simul, sed per partes, & uno utcumque confecto, promoveat sese ad aliud.

§. X I I

Testimonia observationum præternaturalium thesin firmantia adferre plura possem, sed pauca sufficient; refert itaque in de obstructione vasorum lacteorum & glandularum mesenterii, vir Nobilissimus Dom. Archia-

Tom. IV.

C c c c

chia-



chiater, & Reg. Coll. metall. Vice præses Urbanus Hierne, observata, in puerili cadavere dissecto, & per mesenterii obstructions demortuo, peculiaria quædam vasa, ex stomacho ad ductum chyli ferum lactescente succo referta, admirando scilicet conatu, novas sibi moliente vias natura, cum consuetæ interciperentur. Sed hanc naturæ vegetantis in adulto & confirmato corpore, vim docent evidentissime trichiaseos miranda exempla, variis temporibus & locis & scriptoribus, cum stupore animadverta. Brevis ero, ne lectoris patientia abuti videar; non in meleagridum ingluvie enascentes cirros adducam, non pubescentes excrecentias alias animalium, harum enim quis forte rudimenta adfuisse antea opponet. Non *Ægagropilas* h. est pilosos in rupi caprarum ventriculis, similesque in pecoribus domesticis non raro globos, e lana, dum se mutuo lambunt, forte deglutita & postea compacta: sed nec polonicam dictam plicam urgeo; unicam solum à Johanne Schulteto Noribergensè medico, publicatam dissertatione peculiari observationem maxime singularem, brevibus proponam. Folliculum scilicet crinitum refert e nigris, crassis, intricate conglomeratis pilis constantem, visco quodam vel glutine quasi cinctum, & longiore ligula interiori superficiè peritonæi adhærentem adnatumque, intus vero putrilaginosa carne plenum. Hunc medici invenerunt exsecueruntque e cadavere mulierculæ, quæ post octennem dolorem miserandum, ex tumore hydropico insigni totius abdominis obierat. Hic tumor sensim ortus est, postquam femine ab ebrio quodam in sinistro hypochondrium ictus pugno fuisset illatus, primis diebus insuper habitus, postea dolore continuo & vix tolerabili ingravescebat; unde sensim subsecuta ventris protuberantia, mirum in modum augebatur, adeo ut vix umbilici vestigium visui superesset in cute distentissima: locus affectus interim saxo durior manebat, nisi quod ultimis ægræ diebus per putredinem omnia fluida redderentur; videantur quæ pluribus author nominatus de hoc casu refert. Hoc utique exemplo liquet, in casu præternaturali & positis certis circumstantiis fieri posse, ut nervosi systematis exilissimæ simul & copiosissimæ propagines, delineatæ Willisio & Bidloo, quæ utique omnium solidarum partium animalis corporis genuinum & verum subtegmen constituunt, etiam exerceant in illud fibrarum genus, quod crines referat.

§. XIII.

Restat nobis, ut de humorum acredine, nitidam ossium densamque & compactam structuram, vel turbante vel destruyente plane, pauca quædam, eodem, quo in præcedentibus, modo cepimus, dicamus. Acredo quidem in humoribus corporum, adeoque & enatis inde cornibus ossibusque etiam naturaliter quædam inest; etiam in recens natis, lacte solo eoque materno nutritis; est & acedo, in illa ipsa potabili aqua limpidissima, quam,

quam, quoniam insipida est, dulcem dicere medici solent: sed jam adventitiam illam acredinem, hoc est nocivam & præternaturalem loquor, hoc est quam perferre partes solidæ nequeunt, ex diætâ nostrâ usu recepta, & dudum inter mortales confirmata acquisitam: quam acredinem omnia corporis puncta pervadere, nemini mirum erit, si numerum inire voluerit, salinarum particularum & acidarum, & aromaticarum, nidorifarum, imo corrodentium, exedentium, exurentium, quibus & mensæ privatorum & solennia convivia computationesque festivæ, abundantissime luxuriant. Hæc insuper assumptas acedines, mirum in modum, diversisque modis augent, affricata per contagia corrosivorum morborum miasmata. Non autem hæc pagellæ permittunt, ut hæc plene diducantur: satis erit annotasse in illa causerum præexistentium copia, acria illa & in humoribus, & in visceribus & in solidis partibus, denique & solidissimis efflorescere debere, & impressâ sua vestigia tristitia, ubique relinquere.

§. XIV.

Evidens inter alia multa, hujus rei exemplum, in illo præternaturali affectu apparet, quem Græcis quidem Latinisque inusitato nomine, sed eo frequentiore in sequiorum temporum, arabumque medicorum monumentis, *Ventosam spinam* dicimus, nostri *Fuhlslaget* appellant, quasi mali moris morbum diceret. Est practicis autem scriptoribus: ossis corruptio cum partis tumore; vel est abscessus corruptorius, seu sphacelismus ossis circa articulos; etiam circa alias ossium partes, eorundem substantiam prius quam periostium affligens, cum dolore, colore ossis mutato, interdum & mollitie, semper cum sanie tenuiore & liquida; vel brevissime: spina ventosa est ossis ab interna causa tumor cum ulcere superveniente. *Spinam* itaque dixere, quoniam dolor cum punitionis sensu adest, *ventositatem* dixere ob intumescentiam, familiari sc. illis loquendi modo. Sed plenior hujus argumenti elaborationem alii tempori ac loco seponam, ubi studii qualicumque mei medici elaboratius forte specimen quoddam exhibendi dabitur occasio: nunc manum de tabula detrahenti, tuberosorum ossium facundam in nobis matrem, indice digito monstrasse sufficiet.

F I N I S.

C c c c 2

DISE





DISSER.



CXXIII

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
VULNERIBUS OSSIUM
RITE CURANDIS.

Quam Praeside

LAURENTIO HEISTERO,

Tuebatur

JOAN. GOTTLOB. STURMIUS,

LUBENALUSATUS,

Helmstadii die 30 Maii anno 1743.

Cccc 2

